



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXXX. Achabi Israëlitaru[m] regis, & lezablis impietas, in[n]ocentis Naboth,  
&c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

cipis animæ malæ , spe quæstûs illigata ; claudam  
 fecit & fortunam , & expectationem lucri caducam  
 Sed Iosaphati tamen si non classis , at certè Salu  
 anno regni 25. vitæ 60. tandem enatavit : Octo  
 ziâ per omnia , quod suprâ indicavimus , demer  
 Ut appareat , suas sceleribus esse pœnas , & proœ  
 virtutibus.

NARRATIO LXXX.  
 ACHABI ISRAELITARUM REGIS, ET JEZABELIS UXORIS IMPIETAS AC  
 SUPPLICIUM. INNOCENTIS NABOTH  
 THI LAPIDATIO.

3. Reg. 16. 18 20. 21. 22. 2. Paral. 18. 19  
 Ab anno Mundi 3117. Ch. 936. ad ann. M.  
 3151, ante Ch. 902.

**V**irtus opposito vitio clarior elucet. Cum  
 Iosaphati pietate impietas Achabi certamen  
 scepisse videtur ; ita contrarijs nitebantur  
 studijs ; Altero castam Religionem omnibus viribus  
 propugnare : altero evertere contendente. Sec  
 lerum impultrix ei fuit Iezabel, Etbbaalis Sidoniorum  
 regis filia , mulier tam impia, quàm crudelis. He  
 jus instinctu Achabus ipsò regni exordiò , Samaria , in  
 urbe regia ad detestabilem vitulorum cultum , adjecti  
 nefandos Baalis seu Beli lucos, aras, Sacra, tantâ infu  
 niâ , brevî ut quadraginta supra octingentos Baalis  
 facri

sacrificuli numerarentur regio de penu liberaliter  
 sustentati. Non deerant Israëlitis prophetae, qui  
 clamoribus & adhortationibus Achabum, ejusque popu-  
 lum ad meliora provocarent; sed furdis canebatur.  
 Vaticinijs ea tempestate clarus erat *Elias*, oriun-  
 dus *Thesbe*, vico Tribus Gaditanæ; is vindican-  
 ti honoris divini flagrantissimò succensus studiò, ul-  
 trices scelerum poenas ex alto devocat; ut, quan-  
 do Achabus mitiora remedia contempserat, asperi-  
 oribus sanaretur. Coelum claudit precibus (quæ  
 alias id aperiunt) trienniò amplius. Suspensis ro-  
 re, pluviaeque, immodicis æther terram Israëliti-  
 dem (Judæam poenæ eximiam, sincerus Numinis  
 cultus fecit) caloribus exurit; undique squalent agri, &  
 longa sterilitas duram invehit famem, id jam ante præ-  
 nuntiârat Achabo Vates, non aliò operæ pretiò,  
 quam ut cum minis è conspectu reiiceretur. Qua-  
 re in locum solitariū juxta torrentem *Carib* se recepit,  
 corvis, quod infra narrabimus, quotidianæ aëonæ  
 subvectoribus. Jezabele interea crudeliter in Pro-  
 pheticos, & religiosos viros sæviente. Lanienæ  
 centum subtraxit *Abdias*, Achabi Oeconomus, pa-  
 triæ religionis retinens; quos speluncis abditos  
 clam subministrato victu servavit. *Elias*, ubi se pu-  
 blico iterum reddidit, ante omnes Achabum, jussu  
 DEI, convenit, pollicetur, cœli se duritiam propi-  
 tios in imbres soluturum, si cum *Beli* sacrificulis in  
 religionis certamen venire permetteretur. Con-  
 cessum est, non minore idololatrarum clade, quam  
 probro; quod in gestis *Eliæ* exponemus. Nunc  
 Achabi fata prosequamur. Is neque cœli contu-  
 maciâ, plus quam triennali, nec sæcunda pluviarum

claudam  
 caducam  
 rtè Salus  
 t: Ocho-  
 demersu  
 & præma  
 TA  
 EZA  
 SAC  
 WABO  
 18. M  
 nn. M  
 Cum  
 amen  
 tebantur  
 s viribus  
 e. Sec  
 oniorum  
 is. Hu  
 arie, in  
 , adjeci  
 ntâ inf  
 s Baal  
 sacri



largitate, nec strage Baalitarum, expugnatus, haud  
paullò, post prodigia peior, quàm antè fuerat, con-  
ceptum à Megæra sua furorem, pari rabie in Numi-  
nis cultores effudit: juratus DEI hostis, cujus iram  
hoc etiam crudelitatis exemplo laceffivit.

Reddiderant jam terris hilaritatem suam cades-  
tes coelò pluviae; ridebant passim agri, vineaeque  
& oculos mortalium viriditate, foecunditateque  
alliciebant; soli Achabo livor & avaritia nullam vo-  
luptatem concedebant. Inter alios vitiferos col-  
les, erat quidam, urbi *Iezraeli*, & regijs prædijs con-  
terminus: à viro primario, cui *Nabothus* nomè, avitò  
dominiò possessus. Adjicit ad hunc oculos rex,  
postulat sibi vineam vel pretiò permutari, vel ab  
fundò; in animo esse, eum locum, excisis vitibus,  
olerum & herbarum amœnitate vestire. *Nabo-*  
*thus*, qui agellum inter manus Majorum ad se hære-  
ditate transmissum sciret, negat sibi licere per infir-  
mita patria, fundum abalienare. Fert eam repullam  
tam impotenter rex, ipsum ut agritudo animi cibo,  
hominumque consortiò abstineret. Advertit mor-  
bum mariti *Iezabel*, audaciæ & sceleris projectissimi  
mulier; objurgare igitur velut nimio opere timi-  
dum & abjectum, & regijs uti nescientem imperijs.  
Sibi quidem artes in promptu esse, quibus hominis  
pervicacia frangatur. Nec mora; scribit ad eos,  
qui judicariam potestatem in *Iezraelitas* exerce-  
bant, litteras, regis nomine & annulo signatas, man-  
datque, prætextâ sceleri pietatis specie, publicum ut  
edicatur jejunium, tanquam in rei ad religionem at-  
tinentis atrocitate summa. Convocatur seniorum  
& optimatum confessus, inter quos & *Nabothus* ad-  
erat.

erat. Constituitur iudicium, subornantur accusatores, apponuntur falsi testes, Nabothus læsæ majestatis divinæ, regiæque, tanquam injurius & blasphemus in utramque, reus peragitur. Quid multis? calumnijs opprimitur innocentia, Jus vi obruitur, Nabothus inauditus & indefensus adjudicatur morti; lapidibus è vita & fundo suo exturbatur, & unà quadrigemi filij, ne superesset, qui repetundarum postularerent tyrannum. Ebria innocenti cruore Furia, gestire gaudio, & tanquam re benè gestâ, ad communionem lætitiæ invitare maritum; hic cruentâ non minus delectatus scenâ; suarumque jam compos cupiditatum, hilaris in vineam sese conferre, iniquis prius oculis usurpatam, nunc iniquiore pede calcatam. Obviam, eunti objicit se Elias, tremendus iræ divinæ internuntius, tam ipsi Achabo, quàm nefariæ conjugij, cunctæque posteritati, incubitura; quorum omnium sanguinem eò ipsò in agrò, quem insontis eade funestâssent, canes essent lincturi, cadavera bestijs pabulum cessura. Nec aliter evenit, ac prædixit. Achabus quidem decretoriam DEI sententiam aliquantum distulit voluntarijs pœnitentis animi, corporisque supplicij, non perinde abstulit; metu potius, quàm amore commissâ piacula averfante.

Debuerant equidem Numinis beneficia, nisi in filicem incidissent, inflectere cervicem ad divinæ legis obedientiam. Nam obsessus in urbe Samaria, regiâ suâ, à *Benadado*, Syriæ rege, triginta duos secum inferioris fastigij reges ducente, hostes cecidit, fugavit, disjecit; ducentis non amplius ac triginta duobus purpuratorum ac Satraparum pedisequis, cum Syrorum exercitu congregari ausis, hortatu cu-

jusdam è Vatibus: & vi divini terroris incusà, formidinèque Panicâ hostibus injectâ. Quos persequens Achabus, maximam partem delèvit. Rex ipse Benadadus, vix fugâ elapsus, cædi subtractus est. Qui vertente anno copijs multò, quàm antè majoribus adversùs Achabum instructus, ad *Aphècam*, Issacharæ Tribùs urbem, cum Israëlitis longè numerò imparibus cum iterum configeret, cæsa sunt Syrorum ea die centum millia. Rex Syrus cum viginti septem suorum millibus *Aphècam* se recepit; quam recuperavit Achabus, renovatò Ierichuntis prodigiò, muri namque, impellente eos in casum manu cœlesti, sine admoto ariete collapsi, propugnatores omnes secum in ruinam tractos, obtritòsque Israëlitis contrucidandos obicere. Exoravit tamen vitam Benadadus ab intempestiva Israëlitæ Regis clementia; quem, si victoriæ fructum ferre voluisset, ex mandato Divino, immolare ferro debuisset. Quod ei Vates quidam [*Michæam* fuisse nonnulli putant] acriter obiectans, *quia dimisisti*, inquit, *virum dignum morte, et anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* In faustæ denuntiationis omen, cruentatus & pulveris foedatus, exhibuit vulnus, quod ab *Amica* [ita enim petierat] inflictum manu, plagam portendit, paullò post Achabo, populòque à Syris inferendam. Eam interminationem Rex initio, velut delirium contemnere visus, composito cum Syris foedere, eisque tributio nere impositò Samariam victor redijt, plus tamen secum furoris, quàm triumphireportans; nam subeunte animum severitate castigationis, fatidicum vinculis, sese prænuntiatis calamita-

mitatibus induit. Triennium intercessit à bello, & pace cum Syris facta, contrà quàm DEI voluntas ferebat; [delendus enim fuerat hostis, ex cuius amicitia, perniciosum contagium afflabatur genti Israëlita, domesticis jam antè flagitijs corruptæ] cum *Iosaphatus*, Judæ Rex, invisit ad Achabum confocerum suum; à quo regio more exceptus, ad in- eundam Syriacæ expeditionis societatem adducitur. Causa novi belli, urbs *Ramótha*, in Galaatitide sita, quam Benadadus, contra pacta, detrectabat restituere. Ejus expeditionis Auctores fiunt Achabo Pseudoprophetae Baalis quadringenti; [adeò semen improbum post stragem ab Elia in Carmelo illatam, repullulârat] è quibus unus, *Sedecias* nomine, ferreis caput efferatus cornibus, ventilandam scilicet Syriam prædicebat, in morem irritati tauri, straminea simulacra jactantis in altum. Iosaphati porro jussu, de eventu belli interrogatus *Micheas*, arcanorù DEI conscius, alia omnia vaticinatus est; eâ ob rem à Sedecia pseudopropheta, colaphò mulctatur, consuetò veritatis præmiò. Itur igitur in bellum, movetur in hostem, prævalente contra Prophetæ divini vaticinium, Baalitarum mendaciò. Cæterum Achabus prædictionem *Micheæ* [occul- tum enim pectore gestabat aculeum] elusus, mutatò regiò in vulgarem habitu, prodijt in aciem, Iosaphato summâ imperij relictâ, Dederat autem in mandato suis Benadadus, ut omnium oculis, manibusque in unum Achabum, tanquam facem belli, intentis, eum sibi vel occisum, vel captum traderent. Unde factum, totius ut robur exercitûs in Iosaphatum, quem pro Achabo habebant, quip-  
pe

pe regali exornatum cultu, incumberet. Quod ille periculum partim precibus DEO fufis, partim aperta nominis possessione, abs se in Achabum avertit; quem frustra evitare fata conantem, cœlestis vindicta tot inter millia victimam casu minimè fortuito stravit; cum enim quidam è gregarijs militibus, telum in confertam multitudinem jaceret, Achabum ex curru pugnantem ceu destinatò scopò trajecit, sagittâ per anteriorem lorica committentem penetrante, & inter scapulas ac cervicem valledè erumpente.

Accepto tam gravi, tamque insperato vulnere, Achabus è loco pugnae excessit, medicinam plagaefactorum; superante verò mali vi, cum sanguine spiritum infelicem effudit, vitæque pariter ac pugnaefinem imposuit, receptui canentibus Hebraeis; neque Syris pertinaciùs agentibus, sublato, quod præcipuè expetebant, capite. Corpus exanime delatum Samariam, ibique sepulturae mandatum; currus autem & habenæ cruore stillantes, ablutæ in piscina, non procul urbe, remotâ, canibus abstersam tabem ore lambentibus, juxta prænuntias Vætis Eliæ minas. Iosaphatum pietas sua servavit, & incolumem Ierosolymam reduxit; adversus tamen, quod superius retulimus, *Iehu* Prophetes occurrat, gravissimus exprobrator fœderis & amicitiae cum impio Achabo junctæ.

Superest, ut fatalem *Iezabelis* quoque interitum, referamus. *Iehu* ex magistro equitum, Rex Israelis primùm ab Elia, tum à quodam Elisæi discipulo, inunctus, & à proceribus, in solium, detractis palij, opere tumultuario excitatum, impositus, cum

expe-



expedita manu *Iezraëlem* urbem, ubi tum *Ioramus* Achabi filius, regiam sedem habebat, advolat; venienti obviam occurrunt tum *Ioramus* ipse, tum *Ochozias* Rex Judæ, qui amicitiaë causa, ad *Ioramum* inviserat; insidiarum nulla suspicio. Sed mox apparuit illum *Jehu* adventum, non officij, sed hostilitatis fuisse; nam ut primùm *Ioramus* in conspectum venit, *Jehu* tetendit arcum, & Regem iam tergum fugæ obvertentem, inter scapulas transfixit, currûque delapsum, proijci jussit insepultum eo ipso in loco, ubi *Nabothi* vinea, fusûsque sanguis, muta quidem, sed funesta voce vindictam clamabant; *Ochozias* quoque lethali confossus vulnere, pœnas mali consortij dedit; reiectus tamen *Ierosolymam*, avito monumento infertur, non suô, sed avi *Iosaphathi* meritô.

Inter hæc, *Jehum* *Iezraëlis* portas subeuntem, conspicata de fenestris *Iezabel*, fuce stibiôque depicta, victorem cum convitijs excipit; ad hujus imperium mox ex alto præcipitata per evnuchos, qui dominæ suæ adstiterant; equorum unguis obteritur; foedè deformatam & contrucidatam, invadunt canes; à quibus membratim discerpta & distracta, sola calvariâ, summisque manibus ac pedibus reliquis, vaticinantis fidem, modûmque supplicij implevit. Ita mali perierunt malè. Sed miseranda, & planè tragica cædes est septuaginta Achabi & *Iorami* filiorum, quorum tota culpa fuit, in familia Regis conscelerati natos esse. *Iehus* enim non immemor, quem ad finem in Regem electus, ad prosequendam Achabitarum stragem, utendum celeritate ratus, mittit ad Optimates *Samaritæ*

riæ litteras, jubet ad se deferri septuaginta Principum capita. Factum, quod imperatum; terrore mandati, reverentiam omnem & miserationem erga regiam Sobolem expellente. Septuaginta capita in acervum collata, acerbum spectatorem tantum Iehum; quàm populum magno numero confluentem habuerunt. Neque finis funerum. Idem furor *Iezraëlem* civitatem pervagatus, delevit omnes, quicumque regiae familiae consanguinitatis aut affinitatis vinculo annectebantur. In censum intersectorum venerunt etiam quadraginta duo Ochozia, ex fratribus nepotes, quibus una necis causa fuit, ex Athalia, Achabi filia, susceptos fuisse. Iehus Samariam delatus, eodem, quo coepit impetu, ferrum in omnes stringit, quicumque aliqua necessitudine cum Achabæa domo tenebantur. Omnium verò justissimè vindex gladius in Baalis Sacrificulos desævijt; qui ad unum omnes in templum idoli sui; quod erat Samariæ capacissimum; tantumquam ad Sacrorum celebritatem convocati, dum execrandis Sacrificijs magno apparatu operantur. Iehus munitus armata manu templi foribus, percussores immittit, qui dextrà, lævâque, punctim, cæsîmque in condensatam turbam ferro grassantes, neminem ejus stragis reliquum fecerunt. Execranda quoque Baalis tam fana, quàm simulacra ubique locorum, in regno Israël is eversa, magnum victricibus Iehu trophæis ornamentum accesserunt. Sed tamen, quis credat, idem idolorum everfor, idem adorator fuit. Cui rei bene gestæ amplissima de cœlo præmia internuntius Vates promiserat, si constantia coeptis accederet; is turpissima superstitione captus

captus, veri Numinis cultum, cum Ieroboamico-  
rum vitulorum veneratione copulavit, majore po-  
pularis auræ, quàm cœlestis favoris amittendi me-  
tu. Quæ causâ fuit, ut post annos centum & du-  
os, Iehu quoque familia, quod superius memini-  
mus, sit excisa. Ita vigilat & vindicat in improbos  
Iustitia DEI, & in iræ suæ ministros redire jubet fla-  
gellum, quò luant, quod in alijs plexerunt.

## NARRATIO LXXXI ELIÆ VATIS MIRABI- LIA FACTA.

3. Reg. 17. 18. 19 21. 4. Reg. 1. 2. 2. Paral.  
21. Ab anno M. 3123. Ante Ch. 930.  
ad ann. M. 3129, ante Ch. 914.

**N**ihil tam arduum est, quod virtus non evin-  
cat; huic enim elementa parent, & vel ipse  
æther militat. Elias, cui natalis vicus Thes-  
be, cognomentum Thesbitæ fecit, religioso Numi-  
nis cultui deditus à puero, postquam diu secretam à  
vulgi consuetudine vitam egerat in Galaatitide regi-  
one, contulit se Samariam in urbem ad Achabum  
Israelitarum regem, cum ipsum tum populum ejus  
ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reductu-  
rus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigio-  
sa (pluviarum suspensio, & terris Israëliticis inducta  
siccitas. Exinde, monitu divino, Jezabelis reginæ  
furori cessurus, vitæ solitariæ se reddidit, corvis da-  
pife-